

pus erat, ut Illustrissimus Praesul Observationes illas approbaret, excerpterunt quasdam ex libro propositiones, quas ad eum miserunt, ex quibus judicare poterat nihil esse in iis OBSERVATIONIBUS Fidei orthodoxae contrarium in iis, quae ad gratiam Divinam pertinent. Hinc factum est, ut scriberet librum, quem hodie proferunt; sed ex eo nihil possunt conficere, postquam ipsi docuere quam brevi Episcopus Meldensis sententiam mutaverit. Cur autem illam Observationum Moralium apologiam, neque Reverendissimus Author, neque, eo vivente, alius in lucem edidit? Cur tantum thesaurum Quesnellus absconditum latere passus est? Hanc à pluribus reddi video rationem, quòd, cum eo consilio composita esset ista defensio, ut praefigeretur Quesnelliano operi in nova editione, quam Quesnelli fautores correctissimam promittebant, praescripsit Illustrissimus Meldensis centum, & viginth correctiones: in quibus admittendis Quesnellianis tergiversari perspicuus, etiam defensionem suam Meldensis statuit supprimendam.

Quapropter et si Quesnelliani descriptum exemplar ex authographo haberent, vivente Antistite, de eo altum siluere, aliàs ab ipso facile convincendi. Sed quaecumque demum Episcopo illi occasio scriptionis fuerit, quaecumque etiam mutatae sententiae, mutasse eum nemo audeat inficiari, vel revocare in dubium. Unde stupenda elucet Quesnelli perfidia simul, & impudentia, quòd mutationis illius maxime conscius, à duobus memoratis Episcopis Lucionensi, & Rupellensi publicè redditus certior, nihilominus nullo facto mutationis indicio, Bossuetium citare non vereatur, velut sibi omnimodè patrocinantem. Quasi sola ejus autoritas Pontificem cohibere debuerit, nè ullis Quesnelli propositionibus censuram inferret, aliàs expositurus se justis Fidelium querelis, & insultibus haereticorum. Verùm inanis ista, & solo nixa mendacio formido fuit. Potius habet Quesnellus cum suis ejusdem mendacii reis, quòd meatur, nè sibi à Petro per successorem dicatur, quod olim Ananiae, & Sapphirae, *Quid utique convénit vobis tentare Spiritum Domini? Et Non es mentitus hominibus; sed Deo.* Quin tantò gravius, & perniciosius Quesnelli, quam Ananiae, & Sapphirae mendacium est, quantò doctrinae sanitas, & fides opibus praestat, quantò interitus fidei, quam avaritia deterior est, quantò latius extenditur damnum Ecclesiae universae privato paucorum, & spirituale, atque aeternum pravalet temporali.

S. Chrysofomus in illud act. 5. v. 7. *Uxor ejus nesciens, quòd factum fuerat,* inquit, unde contigerit, neminem Sapphirae ingredi-

ti dixisse, quid Ananiae contigisset, *Non est,* inquit, *ausus quisquam annuntiare, quod acciderat; adeò Petrum observabant, & reverebantur, eique obediebant.* Quàm ab hac observantia; reverentia, obedientia remotus est Author epistolae, cum reliquis tam novae Ecclesiae, quam novi Augustini discipulis, verè anti-Pontificiis!

Si tamen irrefragabilem adeò Meldensi, quam illi Quesnellus arrogat, concesserimus auctoritatem, quo plus ea ponderis habuerit, magis ipsum opprimit Quesnellum, convictura certius de puris, apertisque Jansenii erroribus. Hæc enim sola, veraque Bossuetii de Observationibus Moralibus sententia est, non ex ante traditis, & dein retractatis colligenda; sed ex retractatione ipsa, & dein constanti, cui immortalis est, judicio. Alioqui Doctorum Maximus Augustinus, Semipelagianorum Patronus æquè ac Bossuetius Quesnelli statueretur, quòd inter blasphemias omnis probè Catholicus rejiciet. Receptissima nempe juris regula est, quòd prioribus derogent posteriora, in Spe. de teste §. 1. ver. quid si dicis I. nam, & posteriores ff. de legi. Hinc corruunt cætera, quæ ad inanem ostentationem, & imperitorum fraudem de Bossuetii auctoritate, ac praestito ab eo priùs Observationibus Moralibus patrocinio tetricè inculcantur.

Sic nempe prosequitur Quesnelli epistola: „ Queso, & obtestor, Beatissime Pater, dignetur Vestra Sanctitas, inter tot divas, versas pro universa Ecclesia sollicitudines, quibus illa premitur, etiam aliquot horas impendere, perlegendo huic opusculo, quod ad explicationem, & defensionem libri, qui jam examini subjicitur, tantus, & tam celebris Episcopus composuit. Fieri non potest (sinat enim me Sanctitas Vestra paulò liberius loqui) fieri, inquam, non potest, ut vir adeò eruditus, in rebus Theologicis tam subactus, atque versatus, Regulæ Fidei in primis tenax, adversus errores omnes semper attentus, apertam ejusmodi operis defensionem suscepit, quod, si qua fides adversariis est, detestandas hæreses contineret. Sed quas hæreses Sanctissime Pater? Eas scilicet, quæ à Beatissimis Decessoribus vestris Innocentio X. & Alexandro VII. atque etiam postea à Sanctitate Vestra per Constitutionem *Vincam Domini Sabaotb* meritò damnatae, excidere incauto non poterant, & adversus quas erecto zelo Illustrissimus idem Meldensis Episcopus cum aliàs semper fuit, tum eà praesertim occasione attentus esse debuit, cum accusationes no-

„ mi-